

L. S.

um difficile sit hisce temporibus ex Jure Nostro in lucem aliquid edere, quod non plena jam manucebris ac quotidianis ad Nauseamque pertractatum sit dissertationibus, nunquam a me impetrassem in medium aliquid proferre, nisi pro gradu & ut in Utroque Jure Honores Consequi valerem, Disputatio quædam scribenda fuisset, qua specimen aliquod meorum in Juris Arte progressuum antequam huic Celeberrimæ Academicæ valedicerem, exhiberem; ad hoc igitur præstandum Operæ pretium duxi sine ulteriore animi perpensione in lucem proferre materiam de Antiqua in jus Vocatione. Hæc vero se ipsam satis superque commendat, quare illam longe verborum apparatu ornare, deque ea multa præfari optimo Jure supersedeo). Nam si qua fides Horatio Epist. L. 2. Ep. 2. vs. 10. & 11.)

Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere Merces.

Placuit interim quantum possibile pro ingenii Facultate nonnulla quæ præcedere solent, vel saltem possunt, præmittere.

Cum nihil magis æquitati & omni Juri contrarium sit, quam ut reus inauditus condemnetur & defensione quæ Naturalis est, privetur: Consequens est ut is, qui actionem instituere & id, quod sibi debetur, in judicio vult persequi, ante omnia adversarium suum in jus vocare necesse habeat. Imo Deum O. M. in magno & primo illo judicio reos Adamum & Evam in jus vocasse (venia sit mihi ita loqui) videmus, & quamvis Summo illi judici, cui omnia nota sunt ac Cordium penetralia patent, rei Cognitione & Criminis inquisitione minime esset opus, tamen illos inauditos condemnare noluit; sed vocatis iis defensionem, quamquam nullius momenti, audiivit, antequam ad toti humanæ genti deploabilem illam condemnationem procedit Genes. 3. vs. 9. & seqq.

Romanos etiam necessariam ad judicia recte peragenda in jus vocationem duxisse patet ex eo, quod si quid actum contra solitum judiciorum Ordinem & reus ex more non esset Conventus, omnia essent nulla, & sententia auctoritatem rei judicatae non obtineret L. 4. C. de sentent. & interl. L. 7. C. quom. & quand. Non sane ita sine ratione: quomodo enim judex reo non audito recte de causa cognoscere, & justam sententiam ferre poterit dignum itaque praeceptum quod omnibus fere Tribunalibus inscribatur audi & alteram partem.

Antequam tamen huic prooemio finem imponam paucis prius admonere velim me in tractanda materia hunc ordinem observasse. Cap. 1. agit de origine atque significatione vocis jus. Cap. 2. de ipsa in jus vocationis definitione, indole, eo quod praecedere solet, modo seu forma, historia & progressu hujus juris. Cap. 3. exhibet tria antiquae in jus vocationi communia sc. quod fieri soleat privata auctoritate, cum antestatione, cum violentia quadam sine ulla distinctione personarum. Cap. 4. de casibus quibus dimittebatur in jus raptus, de praetore ejusque edicto cujus tres sunt partes. De prima Cap. 5. agit prohibente quasdam personas omnino vocare, hujus tres sunt rationes personarum, loci, & temporis. De secunda Cap. 6. de personis quae vocari nequeunt nisi impetrata venia, nec non Leg. 13. ff. de in jus voc. generaliter loquente de personis quibus reverentia debetur. Tertiam Cap. 7. exhibet quae poenale judicium in secus facientes pollicetur. Cap. 8. agit de tempore, quo in desuetudinem abiit, violenta in jus vocatio, & differentiis inter Vocationem & Citationem Restat nunc mihi nihil aliud nisi, ut Te Amicissime Lector, etiam atque etiam rogem ut, si quae non satis accurate pro materiae dignitate sunt exposita seu quaedam a me omissa, sicut & quoque circa literarum distinctionem me invito adhuc irreperierint, ignoscas & humanitate Tua Corrigas, suppleas.

DIS-